



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

De sacro Iubilei anno, eiusq[ue] origine ac caussis. XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

STEPHANI PIGHII  
DE IVBILEII ANNO SACRO,  
EIVSQUE CAUSSIS  
& origine.

## CAP XII.

**N**ONNULLA hinc de causis & origine  
*anni Iubilei*, & *porta sancta* vetustis cere-  
moniis, in medium proferre non incongruum  
videtur. Antiquissimam eius quidem anni in-  
stitutionem esse, constat apud Hebræos, quem  
Moses eorum primus legislator ex dei oraculo  
non sine mysticis rationibus ordinavit ex se-  
ptem hebdomadibus annorum perfectis, quæ  
simul xxxix. annos constituunt. Supplet ac  
perficit hunc septem septenniorum, ut ita di-  
cam, circulum ipsa monas in quinquagesimo:  
non quidem per se numerus, cum sit indivi-  
duus, sed numeri principium & finis, fons, ra-  
dix, ac parens. Non ineptè propterea vni in-  
diuiduoque Deo, summo bono, rerum omnium  
auctori, atque parenti, conservatori que com-  
parata: qui, non secus ac monas numerorum  
seriem, mundum, rerumque in eo cunctarum  
statum ac ordinem suo nutu immutabilis, ac  
semper idem ipse moderatur, atque continet.  
*Septenarium* numerum quidem ab ipso mirificè  
commendari, plurimis argumentis cognitum  
est: & maxima quæque ingenia causas inda-  
gare satis nequeunt. Mundum imprimis orna-  
vit septem stellis vagantibus, quas *Planetas* ideo  
vocamus. Et quia variis eximisque virtutibus  
præpotentes in elementa, ac inferiora corpora  
cuncta dominantur, haud malè *ἡσπεροί* *ἡσπεροί*,  
tāquam mundi principes veterum iudicio nun-  
cupatos fuisse legimus. Quin etiam homo,  
quem

quem ad imaginem suam factum, ac ratione dotatum, veluti delicias suas orbi terrarum rebusque in eo creatis omnibus præposuit, tota membrorum symmetria, corporisque compagine sic conflatus diuino numine videtur; ut septenarij numeri vis atque potestas in eodem luculenter eniteat. Constat etenim ipsum septenaria ratione concipi, formari, viuescere, perfici, adulescere, & roborari; nec non decrescere, atque debilitari. Quemadmodum Platonici copiosè demonstrant, argumentisque peruincunt totam humani corporis fabricam atque hominis vitam isto dispensari numero. Quia etiam sensuum officia quatuor, visus, auditus, olfactus, & gustus, in capite velut in arce posita, quo rationis remone regerentur, septem foraminibus, oris videlicet vno, oculorum, aurium & narium ter binis administrari: Quintum verò, tactus, per totum corpus diffundi: ut torporem viuentis arceat, & vigilantiam excitet ad noxia quæque fugienda. Quapropter hunc numerum perfectionis, vniuersitatisque plenitudinem in se continere, doctorum opinione receptum est: idemque persuadent eius virtutes & effectus: veluti pulcherrimè docet tanquam in digitos argumenta diducens, Macrobius in suis commentariis, quos in Scipionis somnium Tullianum luculèntissimè conscripsit. Ad quem huius mysterij curiosum lectorem remitto, quandoquidem vltèrius nunc pergendum nobis est.

Quantum igitur excellentiæ ac dignitatis septenarius rebus à Deo creatis adferat, hinc diffusius explicare, necesse non videretur. Non præteribo tamen quod ad rem attinet, eundem ab omnipotente Deo consecratum ab initio fuisse: cum omnipotente verbo mundum sex dierum spatio crearet, & tantis operibus con-

O

summa-

summatim, septimo die quiesceret, qui inde *Sabbatum*, id est, *quies* dictus est. Itaque diem septimum quemque sanctitudine peculiari sublimavit, feriatumque ab operibus profanis esse voluit, cum hebdomadam absoluat, nempe septem dierum spatium: cuius circulo ac repetitione menses, anni, & saecula peraguntur non solum, verumetiam aetates, animantiumque vitae per climacteras quasdam suas reguntur. Quare per Moysen populi sui ducem sanciri legibus iussit, uti septimum quemque diem, mensem, ac annum religiosissime colerent: hunc numerum in sacris caeremoniis, & arcanis mysteriis reuerenter obseruarent. Septimo die populus ab omni opere abstineret, rebus diuinis vacaret: quia sabbatum domini Dei, & signum foederis ipsius esset. Septimo mense tubae clangere, afflictioneque fierent expiationes a peccatis. Sex annis agriculturam exercerent, fructus colligerent; septimo quiescerent, fructus pauperibus relinquerent. Sex annis Hebraeus emptus seruitutem seruiret, septimo, si velit, liberaretur gratis: si nolit, aure pertusa domini maneret in saeculum *tubileij* sequentis. Vtique post septem hebdomadas annorum plenas, quae constituunt quadraginta nouem, sequenti quinquagesimo feriarentur; quem tubarum septem clangore, quadagesimi noni anni mense septimo indicerent, publicarentque: quia Iubileus ac remissionis omnium vocaretur, essetque sanctissimus. Eodem non sererent, nec sponte nascentia meterent, colligerentve primitias. Eodem contractus, obligationes, & debita quaeuis dissoluerentur, exilia & seruitutes omnes tollerentur, venditae alienataeque possessiones redirent ad primos dominos, & vnusquisque ad familiam pristinam, natiuumque statum suum. Admodum igitur appositè hunc annum Iubileum,

leium, quasi remissionis, reditus, atque lætitiæ haberi, ac nominari legislator voluit, à voce primigenia *לבל* *lobel*: quæ lingua Hebræorum sonat *reductionem* vel *reditum*; Chaldæis autem *arsetem*: Ex arietum enim cornibus erant compositæ illæ tubæ vel buccinæ septem, quibus hic annus à sacerdotibus publicari solet. Nec ineptè quidem significabat etenim ipsis *aries* regnum ac sacerdotium: dux enim & custos est gregis. Principes igitur sacerdotum, septem ex lege tubis suis arietinis, pristini status reductionem, velut maximi gaudij nuntium, populo publicabant. Latini verò gaudium ineffabile, quod verbis explicari nequit, voce tamen testatum, non dissimili, nec minus antiquo vocabulo, *tubulum* appellant: quemadmodum & Celtæ, Germanique rem preciosam, charam, & gaudio afficientem, *louueelum*: ijdem Iubileium annum sua lingua vocant *aureum*, à metalli eius precio; ut & omnia chara dicunt *aurea*. Quæ quidem nomina ex eodem fonte prognata sunt; & anni dicti non minus, quàm legis virtutes & effectus declarant. Quid enim non gaudij & exultationis adferunt debitorum remissio, bonorumque recuperatio pauperibus, libertas seruis? quid non desiderij tantorum beneficiorum expectatio? Non immeritò quidem annus hic, quem & *aureum* Germani nuncupant, ab afflictis & oppressis, tanquam preciosus & charus haberi, votis omnibus exoptari, & excipi summa cum lætitia poterat. Ceterum non sine diuinis rationibus legislator ille summus eos ritus instituisse, legi que tales præfracto, & barbaræ seruituti adfuerit populo imposuisse videtur; quibus eum ad humaniorem cultum reduceret, & ad sui timorem ac reuerentiam compelleret: cum nimirum sibi hunc, velut in hæredium, & in eius fundo stirpem delegisset, ex qua denique Seruator

uator humani generis *Christus Dominus* noster diuina prædestinatione nasceretur in terris, ex tribu videlicet Iuda, & semine Dauid, quemadmodum plurimi prophetae vaticinati sunt. Ne igitur familiarum ac tribuum fieret confusio, temporum longo successu, quæ nasci plerumq; solet ex longinquis & promiscuis coniugiis, & bonorum hæreditariorum alienatione: cautum diligenter legibus, ne quis extra familiam aut tribum suam matrimonium iniret, néve nubere. Vti vxorem viduam fratris sui defuncti sine liberis, frater ducat in matrimonium, semen suscitet, & primogenitum eius nomine appellet. Vti in tribubus XII. familiae singulae restituerentur in integrum anno quoque quinquagesimo; possessiones, villæ, bonaque omnia quocumque modo distracta redirent ex prima sortium distributione ad easdem, & ad primos hæredes suos, atque in seruitutem addicti, in libertatem, & ad cognationem quisque suam. Harum igitur legum beneficio sanguinû commixtio, hæreditariarumq; portionû, quas Iosue dux populi Hebræi tribubus ac earum familiis singulis in terra promissionis ab initio assignauerat, alienationes perpetuæ prohibebantur. Nâ & anni Iubileij recursus, velut aureû quoddam sæculum, conlapsa reparando prisca iura, possessiones, libertates familiis singulis, atque priuatim cuique; nec non felicem ac quietum reip. totius statû reducebat. Non itaque difficile fuit familiarum stemmata & propagines à prima stirpe deducere, cum intra familiam & cognationem manerent coniugia. Et cum maximè illi populo fuerit semper vñsitatum genealogias colligere, & natalia quorumcunque curiose scriptis mandare. Vt liquidè satis ex patrum sacris voluminibus atque vaticiniis constet, aduentum expectatû Messia in *CHRISTO*  
libe-

liberatoris nostri, ex sanguine David, & tribu  
 Iuda nati vita & passione, in terris expletum  
 fuisse: quod in confusione illa cognationum  
 ac familiarum haud facile demonstrari potuis-  
 set. Iam verò sabbathi, & anni septimi, ac rur-  
 sum cum Iubileio recurrens illa quies atque va-  
 catio laborum publica commodi plurimum ad-  
 ferebat; hominibus videlicet, atque iumentis  
 virium restaurationem, agris fecunditatem,  
 pinguaque noualia possessoribus agricolis. Li-  
 bertatum denique atque bonorum recuperatio,  
 hoc est, restitutio in integrum & pristinum sta-  
 tum vniuscuiusque, certam quandam suis tem-  
 poribus conditionum ac fortunarum æqualita-  
 tem pariebat, quæ vt conciliatrix amoris &  
 concordia, sic & iniuriarum, inuidiæ, atq; con-  
 tumeliosæ superbiæ profligatrix esse solebat.  
 Itaque visum illi supremo legislatori, hisce riti-  
 bus, aliisque legibus opportunis, gentem in vsu-  
 ras, auaritiam, ac sordidos quæstus pronam  
 compescere: ne diuitiis supra modum euecti,  
 insolescerent, pauperes opprimerent, virtutem  
 ac cultum diuinum vilipenderent. Atque hæc  
 quidem haud leues instituti apud Hebræos Iu-  
 bileij anni fuisse causæ videntur. Verum enim-  
 uerò, cum in veteris legis oneribus, & umbrati-  
 libus sacramentis, quæ Moses obuelata facie le-  
 gem ferens Israelitis imposuit, gratia dei, qua  
 genus humanum crimine primi parentis conla-  
 psam per filium suum IESVM CHRISTVM Ser-  
 uatorem nostrum, ordinatissima temporum dis-  
 positione restaurare decreuerat, operta multis  
 sæculis iacuerit, quæ tandem per Christi Euan-  
 gelium, ac eius passionem, velo templi scisso, in  
 lucem prodiit: iam mihi facile persuadeo, sub  
 prima illa sabbathi atque anni Iubileij institu-  
 tione sublimiora etiam mysteria comprehensa  
 latitasse. Sic etenim necesse est intelligamus,

quacunque sub veteri lege decreta, factave esse legimus: vt cogitemus in his esse plurima, quae signant postmodum in ecclesia Christi gerenda, & nobis etiam imitanda esse, quemadmodum D. Gregorius testatur. Quid enim significat *septimi diei sabbatum*, quod Deus ipse ab operibus quiescendo sancire voluit, & vacatione diligenti profanorum atque seruilium laborum sacrari à Iudæis? Non aliud ex D. Augustini sententia, quam à seruitute perpetui hostis & peccatorum iugo liberandos nos esse per **CHRISTI** passionem & spiritum sanctum, quo beneficio vinculis peccati dissolutis in veram libertatem asserimur. **CHRISTVS** igitur nos oneratos, ac laborantes subleuat & reficit, fessis criminum sublato pondere veram quietem præstat. Hic libertatis nostræ vindex legem adimplens ipse, sabbathum felicissimum nobis attulit, missus à Patre, vt suis nunciaret annum *Iubileum*, plenum salutis & gaudij ineffabilis; vel, vt *Isaiæ* prophetae verbis dicam, annum placabilem, vel acceptabilem Domino, & diem retributionis Deo nostro. Quod vaticinium in se compleri palàm indicauit **CHRISTVS** ipse, cum in terris inciperet Euangelium, atque annum hunc acceptabilem prædicare; iam in Iordane baptismatis tinctus ac vnctus sacramento; nec non superueniente figura columbæ Spiritus sancti numine, & Dei Patris oraculo commendatus, vt ipsum audiremus. Tunc patriæ suæ synagogum ex more sabbatho ingressus, cum librum lecturus aperuisset, in eadem incidit *Isaiæ* verba hæc: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me; ad euangelizandum mansueti misit me, vt mederer contritis corde, & quæ sequuntur.* Cumque legisset, & omnium oculi in eum essent intenti, cōuoluto libro, cœpit ad eos dicere: *Hodie cōpleta est scriptura hac in auribus vestris,*  
& fa-



& facundiæ ad miraculum ex eius ore fluentis gratia cunctis hoc facile persuasit. CHRISTVS igitur Seruator noster *Iubileum* & gratiæ verum annum à Iudæis ex lege per figuram celebratum nobis attulit, & simul per euangelium annunciauit mansuetis, hoc est, spiritu pauperibus, vt D. Hieronymus prophetae verba interpretatur. Missus ad sananda vulnera contritorum, & vt predicaret captiuis peccatoque seruis libertatem, clausis a pertionem, vel vinctis solutionem. Hic legis aboleuit obligationes, & reliqua vetera. Hic primi parentis crimine genus humanum infestissimi hostis seruituti mancipatum sua morte liberauit, peccatorum vincula soluit, clausos in barathro patres antiquos à morte resurgens eduxit, aperta que cæli porta, beatitudinis æternæ thesauros patefecit, hæreditatem amissam, & felices paradisi possessiones, cælestem que patriam exulibus nobis ad eum redeuntibus benignè restituit. Auentus quidem tam exoptati temporis, vel potius *Iubileij* nostri etiam arietinarum tubarum septem clangore nobis prænunciatus fuit; nempe vaticiniis prophetarum plurimis, vt septenarius numerus item multitudinis symbolum est. Notum est itidem, in veteri lege mensis septimi initio *tubarum festum* celebrasse Iudæos, nihilque aliud sibi hoc voluisse, vt interpretantur Theologi, nisi ex prophetarum oraculis, Euangelij, & Apostolorum vocibus, quarum sonus cælestium tubarum instar in omnes terræ fines exire destinatum erat, instituere & initiari sacra omnia nos debere. Quin etiam arietes Nabaioth, qui apud Isaiam cap. ix. ministrabunt & offerent: D. Hieronymus interpretatur de electis in sacerdotium, & de ministris ecclesiæ. & vbi psalmographus cecinit, *filios arietum* Domino adferendos esse, eos *Principes Ecclesiarum*

rum Eucherius exponit, vel, vt Augustini verbis dicam, quos per euangelium duces gregum Apostoli genuerunt. *Arietina* igitur *tuba*, videlicet Moses & prophetæ, nobis hunc annum remissionis & gratiæ per figuras & ænigmata obscure clangere cœperunt; ac demum ille præco buccinator D. Ioannes præcursor in fine quadragesimi noni anni, in ipso liberatoris nostri aduentu; imo etiam angelicus è cælo contentus in ipsius natiuitate, cum ex virginis utero procedens, portam gratiarum auream cunctis aperuisset, pastoribus apertius, pacem & gaudium magnum bonæ voluntatis hominibus promittentes nunciarunt. Admodum igitur appositè & hos *arietinas* nobis fuisse *tubas* opinabimur, qui nobis *Christum* monstrarunt, vt agnum innocuum & immaculatum, qui mundi peccata sua morte tolleret, & æternæ vitæ reseraret aditum. Quia per *arietem* illum, quem iussus erat Aaron pontifex pro populi peccatis offerre in holocaustum, *Christus* etiam repræsentatus fuit, vt D. Augustinus, Hesy chius, alii que veteres Theologi interpretantur. Nam hic idem per crucis extensus cornua, spinisque coronatus olim adumbratus fuerat, per *arietem* cornibus suspensum in vepribus; quem pro filio iussus Abrahamus immolauit. Hæc victima sola sanguine suo supremæ iustitiæ moriens satisfecit, primi parentis, vniuersique generis humani crimina, quibus immortalitati eramus facti inhabiles, diluit, ac sustulit; amissas æternæ beatitudinis possessiones hæreditarias, libertatemque illam priscam restituit cunctis, eius euangelium ac legem gratiæ, sine qua vetus lex ad salutem inualida est, recipere volentibus. Cuius quidam tanquam *Iubileij* veri ac placatissimi anni buccinator etiam ipse non minus, quam auctor, & effector in Iudæa fuit. Et cum

cor-

corporis & sanguinis sui testamentum creden-  
tibus relinqueret, per mortis tramitem vitæ  
portam mox aperiret, per crucis arma nostræ  
seruitutis tyranno profugato, castrisque eius  
expugnatis, vincula captiuorum solueret, mor-  
tis & inferni victor rediuius triumphans in  
cælum scanderet; abundantissimè pro nostra sa-  
lute & restitutione debitum soluit, Deoque  
Patri ad eius gratiam se conferentes cunctos re-  
conciliauit. Iam verò cum viuificus dictæ gra-  
tiæ, nostræque reparationis thesaurus cunctis  
quidem pateat accedere ad ipsum volentibus:  
non tamen ad eius vsum fructum quis perueni-  
re potest, nisi per legem gratiæ, & sacramenta  
à Christo liberatore nostro instituta renatus, in  
Ecclesiæ gremium prius admittatur. Huius igitur  
inæstimabilis thesauri dispensationem ab-  
solutam è terris discedens Christus, Petro, &  
Apostolis, eorumque successoribus commenda-  
uit, vt eundem per ecclesiæ suæ membra fide-  
liter & prudenter, pro animarum salute distri-  
buerent. Itaque completis rursus septem se-  
ptenariis mysticis, quinquagesima post resurre-  
ctionem die, cum iam in cælum ascendisset,  
promissum suis Spiritum sanctum misit, cuius  
afflati numine, nihil non ritè facerent ac doce-  
rent in eius ecclesia. Remanet igitur hæc ple-  
na distribuendi potestas per Spiritum sanctum  
in D. Petri, quem pastorem in terris constitue-  
rat, & curam sui gregis cum clauibus regni cæ-  
lorum dederat, successore, hierarcha Romano:  
vt is pro vsu & necessitate temporum, passionis  
& sanguinis sui incomparabili precio succurrat  
imbecillitati nostræ; quando variis in hac mi-  
seriarum valle malorum periculis & ærumnis  
expositi, perduellis inimici insidiis atque infe-  
stationibus assiduè vexemur. Sic enim visum  
supremo Numini, proprio non parcere filio,

sed humiliatum humanæ fragilitatis conditio-  
 ne morti substernere, pluribus onerare calami-  
 tatibus, noxæ dedere: ut tanti pignoris precio  
 salutis æternæ porta ad eam tendentibus aperi-  
 reretur. Itemque voluit, ut filij sui vestigia hîc  
 insequamur, nostram & ipsimet crucem porte-  
 mus, licet inualidi. Adfit, ut D. Pauli verbis di-  
 cam, stimulus carnis, vel angelus Sathanæ, qui  
 colaphiset per errores, & carnis passiones; ut vi-  
 gilemus diligenter per aduersitates, ne extolla-  
 mur in superbiam. Huius improbitatem & co-  
 laphos cum non semel Paulus fuisset depreca-  
 tus, repulsam se passum cum tali responso scri-  
 bit: *Sufficit tibi gratia mea.* Cuius quidem ope  
 laboremus oportet continuè, ut destruat in  
 nobis peccati iugum: eoque dissipato, Christi  
 Seruatoris nos adaptemus auxilio, veræ liberta-  
 tis beatitudini, nequissimamque dæmonum  
 tyrannidem orationibus & ieiuniis feliciter ex-  
 cutiamus. Christi enim solius meritis nostra  
 qualiacumque bona opera ad eam beatitudi-  
 nem consequendam conferre quid poterunt.  
 In eum itaque finem à Romanis Pontificibus,  
 D. Petri successoribus, ad imitationem veteris  
 Iubileij Hebræorum, inter alios, quibus in offi-  
 cio ecclesiam gregemque sibi commissum con-  
 tinent, modos, & ille ab antiquo repertus est,  
 quo populum ad pœnitentiam errorum & sce-  
 lerum, vitæque correctionem, & ad pietatis  
 exercitia pellicerent: quo reuocant statis diebus  
 ac annis in memoriam hominum Christi Ser-  
 uatoris nostri benignitatem & merita, per quæ  
 culparum omnium venia atque cõdonatio gra-  
 tuita eius clementiam implorantibus præsentat-  
 tur. Omnes etenim, ut Flaccus poëta canit,

*Non secus ac pueris olim dant crustula blandi  
 Doctores, elementa velint ut discere prima,*

magnis

magnis propositis præmiis inuitât ad veri illius  
Iubilej à Deo per filium nobis promulgati com-  
munionem, veluti ad solemne regis superni  
conuiuium, & hymeneias epulas, ad quas ne-  
minem nisi in habitu nuptiali splendidum, nisi  
scedis vitiorum sordibus expurgatum venire  
debet. Quarum eluendarum causa summus  
Pontifex paratos ac limpidos nobis ostentat  
fontes, nempe sanguinem sacrosanctum, ac me-  
rita Christi. Ad quos precibus, ieiuniis, ele-  
mosynisq̄ue pro nostro modulo præparati, Di-  
uorum patrocinijs adiuri properemus licet, ea  
cum fiducia & persuasione, solum illum liquo-  
rem nos emundare, & candidatos adaptare tan-  
to conuiuio posse. Nam nihil redemptoris no-  
stri gloriæ decedet propterea, (vt hæretici mali-  
gnè calumniantur) quòd nostræ imbecillitatis  
memores, nostrisq̄ue viribus diffisi, patronos ip-  
si gratos imploremus, & adminicula oportuna  
solliciti quæramus. Cùm autem publicæ cari-  
monix & epiphaniæ vel apparitiones quædam  
adiaphorè partim olim admissem inter sacra tan-  
quam imagines & picturæ moueant, & incitent  
hominum animos; doceant, & renouent me-  
moriã rerum gerendarum; quas D. Augusti-  
nus eleganter admodum *escas* appellat, quibus  
in utero suo susceptos, & ex baptismo renatos  
fouet, ac reficit sancta mater Ecclesia, vt hilares  
& benè pastos nos exhibeat Christo: non in-  
congruum profectò vel ineptum videri poterit,  
quòd summus Pontifex populū omnem Chri-  
stianum sibi commissum exhortatur ad pieta-  
tem, preces, operaq̄ue bona, instante Iubileo  
gratiarū me tempore sacro; vel ingruente Tur-  
cico bello, periculosaq̄ue tempestate quapiam  
remp. Christianam turbante. Non absurdum  
apparebit, quòd nos inflammet ad opem diui-  
nam implorandam, conuocet gregem vniuer-  
sum

sum

sum ad ouile suum; ad Ecclesiam videlicet Romanam, tanquam ad fidei petram, & Ecclesiae fundamentum: Immo velut congreget ad arcam illam Noë, extra quam (vt D. Hieronymus ad Damasum scribit) regnante diluuius, qui manet, peribit. Non ociosum, inquam, videbitur, quod orando, pulsandoque gratiae caelestis portas aperiri posse caerimonis demonstret; dum omnibus ordinibus sacris stipatus, maxima cum pompa portam basilicae D. Petri Apostolorum Principis in Vaticano semper alioquin muro lateritio clausam anni illius initio precibus & malleo recludit, atque per eandem crucis sacrosanctae signum triumphale, cereaque benedicta sancti Spiritus lucem mentes illuminantem, ac diuini amoris flammam corda succendentem infert, populi multitudine ingenti subsequente. Quantus tum, o superi, hominum omnis generis ex vniuersis Christiani orbis prouinciis ad ea sacra Romam venientium confluxus? exposita cuius ex inexhausto thesauro plenissima peccatorum indulgentia; non propter dictas illas caerimonias, non ob nostras preces, peregrinationes aut labores, sed propter vnicum nostrae salutis assertorem IESVM CHRISTVM. Quod ipsum etiam in suis edictis summi Pontifices promulgare nunquam praetermittunt. Ob has igitur rationes, & in eum modum anni Iubileij festum a D. Petri successoribus institutum indicitur: Non quidem Indaico prorsus ritu, siue ex veteris legis decreto, cuius caerimonias per Euangelij gratiam ablatas esse, Paulus vbique contendit; sed vt legis Mosaicae adimpleat mysteria, cum illa Iubileij tempore possessiones & bona his in terris dumtaxat redderet, nexos solueret, & corpora in libertatem vindicaret. Nobis autem per  
Euan-

Euangelium Iubileus annus exoptabilior offertur, quo nexus animorum soluuntur à criminum vinculis, amissæque cælorum possessiones in libertatem assertis restituntur. Vt autem anno quoque centesimo hæc festa repeterentur, *Bonifacius VIII.* summus Pontifex primum decreuit; & portam basilicæ in Vaticano aperuit: largissimamque statuit peccatorum omnium indulgentiam cunctis qui vrbis inquilini triginta eius anni diebus, quiue peregrini aut aduenç, quindecim diebus, confessione, pœnitentia, ac corporis Christi communionem prius lustrati, ad sacra religiosè per eam intrassent. *Clemens* post eum *sextus* eius nominis, flagitantibus Romanis, ad annum quinquagesimum Iubileia reduxit, cui & grata tanti muneris dispensandi occasio visa fuit. Is alteram addidit portam basilicæ D. Ioannis Lateranensis in Cælio, statuitque vt totidem vicibus & ibidem sacra visitarentur. Adiectæ postea ad similes visitationes faciendas duæ sanctiores aliæ basilicæ, D. Mariæ Maioris in Exquilis, & D. Pauli via Ostiensi. Atque ita portæ patefiunt in vigilia Christi Natiuitatis, initio Iubileij, eadem hora quatuor; vna, vt diximus, per summum Pontificem, aliæ tres per basilicarum dictarum Antistites synmystas Cardinales. *Sixtus IIII.* denique temporis interstitium contraxit ad annos xxv. ratus vitam hominis mille casibus & periculis expositam rarius ad quinquagesimum annum peruenire, gratiæque illius expertem infinitam hominum multitudinem idcirco fieri. Aetati cuius anno quoque xxv. rectè consuli, cum vnus hominis vita ter annum illum felicem & optatum attingere possit: in iuuentute nimirum, virili etate, & senectute; fraudarique dumtaxat, quibus lubricam adolescentiam excedere non contingit. Hæc præcipua.

pua.

pua contrahendi temporis causa fuit, vt videfict maior frequentiorque cælestium gratiarum copia proueniret; non pecuniarum, sicut quidam falsè, magis quàm falsè iactitant. Quid enim hoc sæculo his moribus tantum lucri pontificio ærario ex stipe illa collatitia & arbitraria accedat, non video; quæ potius ad basilicarum, siue ædium sacrarum fabricam, pietatisque culturam conseruari solet. Summo Pontifici interea non leuis incumbit cura, vt in vrbe, & ecclesiæ ditionibus vbique locorum ad tantum populorum confluxum commeatus abundet copia, annonæ prouideatur vilitas, utique itinera reddantur à latrociniis tuta peregrinis, quæ quidem sine magnis sumptibus præstari nequeunt. Sed de Iubileij origine & causis iam satis.

## EIVSDEM PIGHII

## DE INSIGNIBVS MILITARIBVS

A PONT. MAX. PRINCIPIBVS

*deferri solitis.*

## CAP XIII.

**H**onos ingens à summo Pontifice deferri interdum solet, qui principibus maximis raro contingit ob occasionum raritatem. Mos etenim vetustus iam à multis sæculis inoleuit; desumptus, vt apparet, ex Machabæorum historia sacra; in qua libro II. cap. xv. legimus, Iudam ducem exercitus Iudaici, priusquam iniret contra Nicanorem prælium, vidisse in somnio summum sacerdotem Oniam propulo orantem, Hieremiamque prophetam tradentem sibi gladium aureum cum tali exhortatione